



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Additamenta Qvædam Ad Ethicam Symbolicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)



ADDITAMENTA QVÆDAM AD
ETHICAM SYMBOLICAM.

Etsi non ignoro, primis hisce libri hujus curis, & secundas, & tertias, ac plures etiam accedere posse; putavi tamen manum tollendam de tabula, nec lectoris patientiâ abutendum. Dum paginas impressas absens revolvo, adjeci has additiones, quæ forsan in hac editione à quoquam desiderari possent.

I.

Additamentum ad Symbolum III.

Paginam 13.

Quadrat huc, quod scribitur de Epicteti Stoici Philosophi Ichnulo fictitio, quem quidam trecentis emit denariis, sperans futurum scilicet, ut si noctu ad istam lucernam legisset, mox Epicteti sapientiam somniaret, & similis efficeretur venerando seni. Torquetur in eos, qui se pulchros & beatos putant, si doctorum virorum habeant insignia, cum ipsi sint omnis scientiæ expertes:

*Plena omnia gypso
Chrysippi invenias: Nam perfectissimus horum
Si quis Aristotelem, similem vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthes.*

Juvenal.

In eodem genere Symboli, speciosum est, quod habet Lucianus adversus indoctum, de Neantho Pittaci Tyranni filio, qui cum Orphei lyram in templo asservatam, corrupto pecunia ædituo, sustulisset: Sub noctem in suburbium profectus, ut ejus periculum faceret, fides pulsare cœpit, sed tam ferali & incondito carmine, ut canes è vicinia strepitu excitati, infelicem citharœdum dilaniarent.

II.

Ad Symbolum XX. pag. 116. post versum 4.

Idem ibidem:

*Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos*

Nutrit,

Narrat, & inventa per devia rura lacerta.

Illi eadem sumptis querunt animalia pennis.

Huc facit, quod Servator noster interrogat Luc. 11. *Nunquid (pater)* pro pisce serpentem dabit illi? scilicet filio panem petenti. Quasi diceret. Quis credas hoc facturum parentem? Et tamen parentes hoc faciunt. Venenum, malum est exemplum. Ex ibidis (avis est ciconiae non absimilis, soli Aegypto peculiaris) ovo fertur prodire basiliscus, quod avis illa serpentes crebro devoret. Pierius lib. 17. Isaia dictum est c. 14. *De radice solubri egredietur regulus.* Quale semen, talis foetus.

III.

Ad Symbolum XXVI. pag. 193. v. 8.

Hymenæus, qui & Hymen, juvenili forma, nuptiarum deus à Græcis habitus est. Hymenæa sunt festa, sive sacra nuptialia. Pingebatur Hymenæus (quod ex Catulli epithalamio colligitur) coronatus floribus & amaraco, dextra facem tenens, sinistra flammeum (lutei seu flavi velaminis genus est) in pedibus croceos soccos habens. In nuptiis canebatur illud Plauti:

Io hymen, hymenæe, Io hymen!

Vel, ut Catullus:

Hymen ô hymenæe hymen, ades ô hymenæe!

Flores & amaracus, herba odorifera, ex qua corollæ nectuntur, lætitiæ nuptialis sunt argumentum; *fax amoris*: *flammeum* (quod sic dictum à Flaminis uxore volunt, cui soli inconcessum divortium) continentiae conjugalis: amaraci sertum perpetuæ fidei signum est: *crocei* in pedibus *socci* (humile scilicet & leve calceamentum comicis ludionibus usurpatum) choreis apti, omnia fausta & hilaria promittunt. Sed quamdiu? dum prima gaudiorum Aurora croceis formosa capillis rubet; affundit sæpius vesper pluvias, & quod in Terei nuptiis contigit, candidæ Hymenæi tædæ in nigras Eumenidum faces, & socci hilares in tristes cothurnos mutantur.

IV.

Ad Symbolum XLVIII. pag. 163. v. 3.

DE Invidia extat epigramma Maronis, quod adscribo?

Livor tabificum malis venenum,

Intactis vorat ossibus medullas,

Et

Et totum bibit artubus cruorem.
 Quod quisquis furit, invidetque sorti,
 Ut debet: sic poena semper ipse est.
 Testatur gemitu graves dolores:
 Suspirat, fremit, incuti que dentes,
 Sudat frigidus, intuens quod odit:
 Effundit mala lingua virus atrum;
 Pallor terribilis genas colorat:
 Infelix macies renudat ossa.
 Non lux, non cibus est suavis illi:
 Nec potus iuvat, aut sapor Lyei;
 Nec si pocula Iupiter propinet,
 Atque hac porrigat & ministret Hebe,
 Aut tradat Ganymedis * ipse nectar.
 Non somnum capit, aut quiescit unquam,
 Torquet viscera carnifex cruentus;
 Vesanos tacite movet furores
 Intentans animo faces Erinnyes
 Lethalis, Tityique vultur intus,
 Qui semper lacerat, comestque mentem:
 Vivit pectore sub dolente vulnus,
 Quod Chironia nec manus levavit,
 Nec Phœbus, sobolesve clara Phœbi.

Invidiæ emblemata pingitur ab Alciato, mulier exueta macie, lippitibus cæcisque oculis, cor de pectore evulsū mandens, fluentibus ab ore viperis, seminuda, laceratque habitu, spinosum manu fustem sustinens. Nimirum Invidia, cum in cæteris sit iniquissima, in hoc tamen aliquid æquitatis habet, quod eum, in quo est, tanquam veneno proprio afficit, perdit, absumit, eumque ulciscitur primum, à quo concepta & educata fuerit. Vipereas manducat carnes; nam viperam ferunt non prodire in lucem, nisi arrosis matris lateribus. Sic Livor eum primum invadit, & quasi enecat, in quo gignitur. Spinosus baculus significat aculeatam invidorum maledicentiam. De hoc baculo Ovidius:

Indoluit, baculumque capit, quem spinca tortum
 Vincula cingebant.

V. Ad

(*) Licentia Poëtions

V.

Ad Symbolum L I. Pag. 282.

Cerva pedes æreos & cornua habens aurea, erat Dianæ sacra, quam cum Hercules neque occidere, neque vulnerare vellet (sciebat enim ex Junonis odiis, quibus agitabatur, quàm periculosum esset, plures feminarum iras in se excitare) diu est eam insecutus, donec fessam cepit, & Mycenæ ad Eurystheum super humeros deportavit. Pierius hoc explicans lib. 7. Hieroglyphic. c. 8. ait, per fugacissimum hoc animal significari, ab Hercule viro fortissimo pavorem à mortalium vita sublatum esse, dum ex urbibus & provinciis flagitiosos & impios homines profligavit. Alii exponunt per alta cervi *cornua* intelligi honores & dignitates amplas: per *aurum* opes ac divitias. Et quia cervina cornua, quod Pierius loc. cit. c. 18. observat, similitudinem referunt lunæ, quæ cornua nunc amittit, nunc reparat, indicatur alios ab ignobilitate modò ad honores evehi: aliòs modò ab honoribus ad ignobilitatem redigi, assiduo fortunæ rotatu, variòque eventu, id quod etiam fugacitas cervi denotat. Hunc igitur *Cervum*, sublimes & auratos in capite ramos gestantem, honores ajo & divitias, quàm multi insequuntur, quanta contentione & quanto anhelitu. Et quàm pauci capiunt! aut si ceperint, conservant! Aliter Hercules; & quicumque vir cordatus ac sapiens; per aspera & ardua, per colles & valles, per dumos & saxa virtutis curriculum profectur: neque vestigiis æneis, hoc est, rebus duris, absterretur, quò minùs eò, quò tendit, pertingat: solâque honestate contentus, nec aurum, nec honorem sectatur, & tamen consequitur, quod non quærebat. Et hanc ipsam prædam cum virtute adeptam, non suæ cupiditati & ambitioni, sed publicæ rei Bono impendit, id quod adumbratur per Alciden, captum virtutis suæ spoliū in urbem Mycenæ ad regem Eurystheum perferentem.

VI.

Ad idem Symbolum Pag. 282.

Geryon Rex Iberiæ trigeminus, & triceps, & tricorpor ideo à Poëtis fictus est, quia tres fratres erant, viribus præstantes, quò denotatur concordia insuperabilis. Andreas Alciatus emblem. 40.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta, simul pietas mutua, & unus amor.

Pppp

Invicti

Inuicti humanis ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.

Concordia, vinculum incolumitatis & pacis, maximas habet vires. Geryon duobus cum fratribus tanto amore, tantaque fide ævum traduxit, ut ii uno nomine Geryones dicerentur: adeoque unicam regni animam & voluntatem inesse, quanquam tres essent, communis jactabat opinio. Est enim unita virtus valentior seipsa dispersa. Victi sunt hi Geryones ab Hercule, postquam separati & disjuncti. Dissolvit autem hoc vinculum avaritia & crudelitas, dum abusi felicitate & potentia sua, injusta ceperunt arma vicinis inferre, & prædas agere: quod Poëta indicare voluerunt per boves ipsorum, hospites devorantes, perque canem bicipitem, & draconem septem capitum, quos velut custodes bobus suis apposuerunt. lib. 7. c. 1.

VII.

Ad idem Symbolum.

INter alia heroica Herculis facinora, hoc quoque eminuit, quod *aurea mala* ex Hesperidum horto sustulerit. Hanc, quia amœnior est, fabulam sic accipe. Juno cum nupsisset, fertur multas pomos, quæ *aurea* producerent mala Jovi in dotem attulisse, hortumque longè nobilissimum, in extrema Mauritania situm, custodiendum commisisse tribus Nymphis, Hespero, qui Atlantis frater erat, genitis, unde Hesperides dictæ sunt; quarum nomina Ægle, Arethusa, Hespertusa. Atque ut nequod ex arboribus sacrosanctis spoliium legeretur, draco insuper pervigil additus est custos, qui prohiberet omnes ingressu illius viridarii. Atlas quoque ad præcludendum accessum, nemus illud pomiferum montibus, velut muris altissimis cinxit; Themidis enim oraculo responsum fuerat, futurum, ut filius Jovis eò aliquando accederet, & *aurea mala* (coloris scilicet aurei, vulgò aurantia) carperet. Hinc Lucanus de Hercule:

Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem

Alcides: passusque inopes sine pondere ramos,

Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.

Nempe Eurystheo Mycenarum regi, à quo mandatum acceperat, illud quoque periculi subeundi. Ad eò nihil Juno intentatum reliquerat, ut privignum neci daret. Sed virtus Herculis etiam hîc vicit: in hortos penetravit, draconem trucidavit, pretiosos illos arborum fructus asportavit. Mythol. lib. 7. c. 7. In cuius rei memoriam ac trophæum Herculi statua

statua in Capitolio Romano (quod Pierius memorat lib. 54. c. 12.) erecta est, dextrâ *clavam*, lævâ tria *poma* præferens,

Ad mores hanc ego fabulam sic refero.

Hesperidum horti deliciofi, sunt illecebræ & blandimenta variarum cupiditatum; eminent in iis *poma*, aureo colore fulgentia; quia quidquid concupiscitur, sub alicujus *boni* aut *pulchri* specie appetitur; unde inter tutelares illas horti virgines prima *Egle* à *splendore* vocatur, nam oculi sive frontis, sive mentis rapiuntur in splendida, sed & splendide decipiuntur, sicut qui contra solem intuentur, cæcantur. Hujus viridarii *cuos* draco, & surgentes è rupibus muri quid sunt aliud, quàm mille labores & pericula fruendi optatis? Quid enim? *Draco* superandus est, qui halitum habet igneum, afflatum venerosum, alas, quibus terram & aërem pervolat & inficit, longissimèque necat; visum præterea acutissimum, squamas instar clypeorum confertas, oris hiatum immanem, oculos terribiles, caudam tam metuendam, ut etiam elephantos (quod Plinius scribit lib. 8. c. 12.) eâ complexos opprimat. Atque hoc monstrum quanto diducit fauces hiatu, quàm multos, spe carpendorum pomorum allectos, invadit, stringit, devorat! *Avarum* aureus malorum color in perniciem trahit; *libidinosum* Nymphæ hortenses illectant; *honoris cupidum* murorum altitudo quò sublimior, hoc desiderabilior ad scandendum, & nemo hoc possidendum invitat. Sed miseri *concupiscentiis suis abstracti* Jacobi 1. plerumque mediis in conatibus pereunt, diabolo (quem SS. litteræ variis locis *Draconem* appellant) in prædam cedunt. Vivat ergo Hercules, hoc est, vir probus, & malarum cupiditatum dominus; hic quia seipsum novit vincere, valet etiam vincere, quidquid perniciosè fulget atque blanditur. Hic quidem suâ munitus clavâ, hoc est, fortitudine & constantiâ, sternit, & pedibus proculcat, quidquid infirmas mentes dejicit. Nihil in illum potest vel *aureus* divitiarum splendor: vel lubricus pellacium *Nympharum* aspectus: vel *draconis* exitialis terror: vel præceps & ardua virtutis via; sed his omnibus superior, spoliat nemo insidiosis fructibus, & vitiorum pabulum in victoriæ suæ monumentum convertit. Atque hic est ille Hercules, cui meritò ponenda statua, & *mala* generosè decussa, velut trophæum, in manum danda. Atque ut nemo clavam Alcidi è manibus extorserit, ita poma hæc nulla temporis diuturnitas erodet, nulla invidorum injuria convellat.

Sunt, qui tria hæc *mala* Herculis comparant tribus virtutibus, quæ *Cardinales* dicuntur, *Iustitia* scilicet, *Temperantia*, *Frudentia*; quartam, nempe

nempe Fortitudinem, aiunt indicari per *Clavam*. Rectè, atque ad propositum nostrum. Sunt enim pravæ cupiditates per contrarias virtutes reprimendæ & evincendæ. Sic arbuscula curva in adversam est partem flectenda, ut evadat recta. Et verò ut Herculem te præbeas contra vitia & improbas cupidines, opus est *panopliâ*, præterque *clavam* fortitudinis, exuviæ quoque leonis gestandæ, hoc est, cæteræ virtutes induendæ, quibus obarmatus, securè *Hortos Hesperidum*, videlicet vitiorum, illecebras adeas, & inde victor abeas. Docent quoque *Hesperia* hæc in manu Herculis *poma*, *amaram esse virtutis pugnam, sed dulcem fructum ac victoriam*. Sunt enim hi fructus honoris ac honestatis. Eccli. 24. Et qui sic vincit, *labores manuum suarum manducat*. Psal. 437.

Atque hæc de hisce pomis satis, aut etiam nimis; neque enim necesse est cætera omnia, quæ sunt in fabula, Symbolicè applicare. *Ut enim in fertilissimo agro, quod sapienter advertit Mythologus lib. 8. c. 22. Fieri non potest, nulla, ut herba nascatur inutilis, sic in optimis, pulcherrimisque figmentis antiquorum non possunt omnia ad certam mortalium utilitatem perducì: sed quadam ad voluptatem, quadam ad probabilitatem ficta fuisse sunt existimanda. Quod si quis putet hæc ad meliorem partem perducere, melioresque explicationes invenire, debet hanc utilitatem cum posteris communicare: omnes enim ad ceterorum quoque commoda nati sumus, ac jubemur à Deo illud talentum exercere pro viribus, quod nobis à divina clementia concessum est. Hæc ille, & ego cum ipso.*

VIII.

Ad idem Symbolum, Pag. 289. versum 4.

CONverti etiam potest fabula in eos, qui licet tenuis fortunæ sint, aut ingenio non perinde valeant, audent tamen potentiores, vel etiam doctiores laceßere, quo ex conflictu nihil reportaturi sunt præter infamiam & detrimentum. Adagio fertur: *Cùm sis nanus, cede*. Forsan, credebant hæc hominum frustilla, se Herculi sopito posse impunè illudere, & quod dicitur: *barbam vellere*. Stolidè. Vir sapiens nunquam totus dormit, etsi videatur: erumpit subitò, & vespas circumvolantes mactat. Virtus & modestia abjectissimis quandoque hominibus audaciam facit & licentiam probris invadendi in eos, coram quibus si sit consistendum, ne hiscere quidem sustineant. Sed suò malò. Leo apertis oculis somnum capit, & insultantes lepores momentò devorat.

IX. Ad

IX.

Ad Symbolum L X. Paginam. 355.

Aleiatu harum avium naturam & nidificationem Symbolicè ad ubertatem ex pace redundantem accommodavit. Fœtificant enim, quod diximus, brumâ, qui dies Alcyonij propter tranquillitatem maris vocantur. Significatur enim optimi Principis officium in id incumbere penitens debere, ut populum in suis regionibus & provincijs, necessario proventu instructis, foveat, & tutetur, habita primum ratione tempestatum, earumque calamitatum, quæ solent in dies accidere: Sinatque ventos remittere, & hostium procellas conquiescere, ut securius, tranquilliusque in pace vivatur. Quod enim gubernator est in mari, hoc Princeps est in Republica; in navi licet sine cura, & otiosis esse vectoribus ludere, dormire; non item navarcho. Huic enim necesse est mare ipsum continuò observare, aërem cœlumque intueri, ad terram aspicere, neque ignorare quæ in fundo sunt, nisi velit allidi ad scopulos, qui in aquis latent. Alijs de nocte stertentibus, ipse unus excubat: interdum autem si brevem somnum suffureretur, tamen dubius hæret, nec curas in ipsa quiete ponit, jam contrahendi vela, jam clauum sistendi, aut quidpiam tentandi aliud, quò navis integra conservetur, cursusque navigationis ad destinatum portum propellatur. Idem omnino, & amplius est Principi faciendum, ut se, suosque in securo, tranquillòque statu adversus ingruentes tempestates tueatur.

X.

Ad Symbolum L X X. Pag. 409. v. 13.

Elpenor è socijs Ulyssis in porcum à Circe conversus fuit: deinde pristinae formæ restitutus, vino gravis de scalis delapsus, cervicem fregit; Homerus 10. Odysseæ. Aded qui semel cum suis in cœno impuræ voluptatis se versarunt, difficulter redeunt ad mentem, vel in recto ejus statu permanent; nam ratio concupiscentijs abrepta, & anima infrunita (ut Siracides loquitur c. 23.) hoc est, impudens, petulans, intemperans, libidini & gulæ dedita, velut in tenebris ambulat, & ex alia in aliam foveam cadit, donec denique cum Elpenore in profundum venit. Prov. 18. in quandam scilicet consuetudinem & quasi necessitatem peccandi, velut impos sui, præceps rapitur, & quidquid est honestum, spernit:

spernit: non fecus ac porci, luto & fordibus se oblectantes, post lavacrum statim ad coenum assuetum revolvuntur. Unde adagium: *Canis ad vomitum; Sus lota ad volutabrum.*

XI.

Ad Symbolum LXXV. Pag. 434. v. 5.

post erigatur.

Convenit huic argumento, quod de bucephalo generosissimo Philippi Macedonum regis equo scribitur. Nomen is habuit à bovino capite, quod aspectu torvo & taurinâ formâ referebat. Qui cum ab equarijs Philippi durius & asperius esset tractatus, adeo savus & præfractus est effectus, ut neque sessorem admitteret, neque vocem cujusquam pati vellet; ideoque velut inutilis judicatus est. Videns id Alexander Philippi filius, & indignans equum tam ingenuum regentium inscitiam perdi, accedens, habenâ eum comprehendit, & contra solem stare fecit, quod eum ex umbræ metu consternari videret. Tum eò leniter demulsò, repente insilijt, circumegit, & ad cursum incitavit, adeoque obsequentem reddidit, ut herum infessurum sponte in genua se submittens exciperet. Ita nimia severitas sæpe destruit generosam indolem, quam moderatior institutio crexisset.

XII.

Ad Symbolum LXXVI. pag. 442. v. 16. f.

post Æneid.

Alciatus emblemate 74. proponit hominem, qui lapidem in canem conijcit: hic verò ruit in lapidem & frustra dentes in eo fatigat. Additum est lemma: *Alius peccat, alius plectitur.* Sic pueri, quod Seneca lib. 1. de Ira dixit, terram, ubi ceciderunt, verberari volunt, nesciunt cui irascantur, & tamen irascuntur. Hic genius Vindictæ est, cæco furit impetu, & nullo discrimine savit.

XIII.

Ad Symbolum LXXXVIII. Pag. 528.

v. 14. à fine.

Pomum Veneris ab Alciato, emblemate 206. per *malum Medicum* explicatur, quæ poma ob aliquam cum auro similitudinem, nomen reperere,

reperere, nec inconcinnè dicuntur esse *amoris nota*. Sunt enim coloris aurei, dulcisque & austeri quiddam saporis habent, sed amarum corticem. Ita turpis aut inconcessa voluptas primo blanditur aspectu, tota undique aurea; sed ubi gustu *dulce* dedit, *amarum* ad satietatem usque ingerit, quod Orpheus in suis carminibus γλυκόπιικρον, id est, *dulce amarum* vocavit. Serviunt ad hoc Symbolum *Poma Sodomitica*, quæ post urbis illius, & vicinarum civitatum, plente pice ac sulphure, exustionem, per totam eam regionem cortice quidem ruborem præferebant: intus verò nihil nisi cinerem & favillam includebant.

XIV.

Ad Symbolum LXXXIX. Pag. 540.

Libet huc addere, quod de Palladis effigie Mythologus lib. 4. c. 5. & Claudius Minos in Alciati emblema 22. commentantur. *Puella*, inquit, *armata* virum sapientem adversus omnes animi perturbationes sese armantem, & vitijs animo forti resistentem significat. Vel quod virtutem suis ipsius præfidiis instructam satis esse, intelligimus. *Galeam* habet in capite, quod referendum est ad iudicium & constantiam, quæ vel maximè sapientis cerebrum, arx & propugnaculum animi, valeat. Insidet ei *gallus gallinaceus*, quia avis hæc clamore suo Minervæ cultores primo manè excitat & salutat. Additur *crista* cassidî, quia non solis viribus uti conveniat, sed etiam urbanitate & moderatione quadam in rebus omnibus cum ornamento. Cuspis ei tribuitur propter necessarium acumen ingenij: nam qui crasso est ingenio à natura præditus, neque, munus Dei præclarissimum, acceperit *iudicium*, hunc vel decem Minervæ, ait Mythologus, expolire nunquam poterunt; alij hastam ei longam esse aiunt, quod oratione percutiat eminens. *Scurum* præ se fert *crystallinum*: quoniam vir sapiens haud aliter se ipsum intus dijudicat, quàm si in speculo crystallino ea, quæ externa sunt, contempletur; vel quia *veritatem* tanquam in lucidissimo crystallo perspectam habet. *Gorgoneum caput* gestat in Ægide seu lorica, serpentibus horrens, quia sapiens in pectore terrorem habet, quò adversarios afficiat. *Cæcios* seu *glaucos oculos* habet Minerva, quia perspicax, & aspectu ipso est formidabilis. Hæc illi.

Porro de *Olea*, Minervæ sacrata arbore, extat emblema Alciati 24. in quo pingit Olivam, cujus ramis se vites implicant, cum adscriptis versiculis:

Quid

Quid me vexatis rami? sum Palladis arbor:
Auferte hinc botros, virgo fugit Bromium.
 Quæ verba Politianus ex Græco disticho sic reddidit.
Quid me implicatis palmites,
Plantam Minerva, non Bromij?
Procul racemos tollite,
Ne virgo dicar ebria.

Symbolo 20. num. 4. diximus, quàm foeda res sit mulier ebria; & vinolentiam à sapiente abesse debere, hoc docet Symbolum.

XV.

Ad Symbolum XCIII. Pag. §68. v. 14.

A *Malthéa* dicta est ab *ἀμάλθειον*, *multiplico, dito, nutritio*, quo nomine afficiunt aliqui *capram* ipsam, quæ Jovi lac præbuit; *Olenia* vocatur, ab Oleno urbe Bœotix vel Achæix, ubi nutrita fuit. Sunt, qui tradant, ex altero *Amalthea* cornu fluere *ambrosiam*, ex altero *nectar*, cibum & potum deorum. Cæterum capra hæc cum aliquando cornu, quod habebat amplissimum, in objecta fregisset arbore, sustulit hoc Nympha *Amalthea* (aliqui ab *Adraste* & *Ida* Jovem nutritum fabulantur) ac diversis herbis ac pomis onustum ad os ipsius Jovis detulit; cujus beneficij memor jam grandior factus, cornu servatum Nymphæ, cujus erat capra, dono dedit, ea virtute imbutum, ut, quod memoravimus, quidquid appeteretur, ex eo cornu protinùs exiliret. Apud Athenæum *Philoxenus* secundam mensam varijs cupedijs instructam, *copia cornu* vocat. *Plutarchus* irridens paradoxa Stoicorum, qui suo Sapienti tribuunt universa, divitias, libertatem, sanitatem, regnum, *Amaltheam Stoicam* appellat. Nos gratitudinis eximix hîc exemplum habemus in Jove, qui non passus est se vinci liberalitate hominum; multo cum scenore rependit, quod accepit; pro herbis, inquam, pomis & diversis fructibus, coelestia munera, *nectar* & *ambrosiam*, retribuit. Et quia beneficiorum optima custos, est memoria, *Jupiter*, reciprocae beneficentix monumentum Nymphis nutritibus impertijt ubertatis omnigenæ *Cornu*: capram verò altricem, in perennem accepti beneficij contestationem, posuit in astris, & magno splendore coruscantem exhibuit spectandam & admirandam.

XVI. Ad

XVI.

Ad Symbolum XCVI. Pag. 597. v. 1.

Nequè enim *in bello licet bis peccare*. In alijs rebus si quid erratum est, potest postmodum corrigi, præliorum delicta emendationem non recipiunt, cum statim pœna sequatur errorem. Notumque est illud Africani Scipionis, turpe esse in re militari dicere: *non putâram*.

XVII.

Ad Symbolum C. Pag. 629. v. 12.

Imperium hoc uxorium quale, quantumque sit, declarat disertissimus M. Tullius, Paradoxo quinto. *Vbi, an, inquit, ille mihi liber videatur, cui mulier imperat? cui leges imponit, præscribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil audet? poscit, dandum est: Vocat, veniendum: eijcit, abeundum: minatur, extimescendum? ego verò istum non modò servum, sed nequissimum etiam servum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto.* Ita Tullius.

Additamentum ad præfationem facie 5.

v. II. post Hæc S.P.

Hisce SS. PP. dictis accedit luculentum testimonium Lactantij Firmiani, viri longè doctissimi & disertissimi, qui non minùs verè, quàm eleganter Institut. lib. I. c. II. pronuntians de fabulis seu fictionibus Poëticiis: Non inquit, res gestas finxerunt Poëtæ: quod si facerent, essent vanissimi; sed rebus gestis addiderunt quendam colorem: non enim obtrectantes illa dicebant, sed ornare cupientes. Hinc homines decipiuntur, maximè qui hæc omnia ficta arbitrantur à Poëtis, nesciunt enim quis sit Poëticæ licentiæ modus: quousque progredi fingendo liceat: cum officium Poëtæ sit in eo, ut ea, quæ gesta sunt verè, in aliquas species obliquis figurationibus cum decoro aliquo conversa traducantur. Qui autem non intelligunt, quomodo, aut quare, quidve figuretur, Poëtæ velut mendaces, & sacrilegos insequuntur. Ita ille, *Quibus verbis innuit,*

Q 999

innuit, et si pleraque Poëtarum figmenta nec sint vera, neque verisimilia (in quo differunt fictiones Fabulosæ ab argumentis Comædiarum, in quibus exponuntur res quidem fictæ, & nunquam factæ, quæ tamen fieri potuerunt) tamen non ex inani & frivolo capitis malè feriatî prolubio, sed ingeniosa quadam Veri per Fictum coloratione ac ornatu, ad ætatis alicuius doctrine significationem erudendam excogitata fuisset.

F I N I S.



INDEX.